ELEGIAE, ECLOGA ET DIALOGUS CAROLI BOLOGNA

Carlo Bologna

ELEGIAE, ECLOGA

ET

DIALOGUS

CAROLI BOLOGNA

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXLIII

ANDREAE · SANDRI

AMICO · LECTISSIMO

PAROCHI · MVNVS · ADGREDIENTI

SCRIPTA · HAEC · E · MVLTIS

CAROLI · BOLOGNA

IN · SEMINARIO · VICETINO · STVDIORVM · PRAEFECTI

VIRI · DOCTISSIMI · PIENTISSIMI · DESIDERATISSIMI

GRATVLANTES · AMICI

D · D · D ·

VICETIAE · AN · MDCCCXLIII

ELEGIA I.

VITA QUIETA IN PRAEDIO RUSTICO AVITO

Qua prope Summani consurgunt culmina montis
  Sunt mihi quae proavus tradidit arva senex.
Hic mollis laeto se ostentat vertice clivus,
  Et placiti in clivo villa beata laris,
Cui procera adstat latere ex utroque cupressus;
  Felici circum gramine terra viret.
Juxta horti, myrtique, et pompa venusta rosarum,
  Structaque cum grata frondea sede casa,
Et vites lectae, ficusque, et suavia mala,
  Et cerasi, et glaucis pinguis oliva comis.
Dives nec defit fragrantis copia mellis:
  Prata infra, et gemino lucida lympha lacu.
At montes amnesque procul cernuntur et urbes,
  Campique adriaci littora ad usque maris.
Me meus hic amor, hic mens detinet aequa quiesque.
  Arma hinc et strepitus, hinc procul este tubae.
Aes mihi non somnos pellit, sed blanda volucris,
  Quae lucem arguto provocat e nemore.
Auroram adspicio turri laetatus ab alta,
  Quum nitidum aequoreo tollit ab imbre caput

Suffundens caelum niveum fulgore rubenti:
   Sol ingens rutilo findit iter jubare.
Cura mihi primo lustrare novalia mane,
   Urget qua domitam rusticus acer humum,
Qua segete in gravida, ut mare, fluctuat aurea messis,
   Quaque ferax tremulo vinea rore micat:
Vel juga celsa libet superare, et caute capellas
   Cernere pendentes lanigerumque pecus,
Et cantus mixta pastorum audire cicuta,
   Et legere in scriptis carmina corticibus;
Visere dulce etiam saxum, saxoque sedere,
   Quo meus, haec obiens culta, sedebat avus.
Fons propter dignus fama est, pater optimus unde
   Irriguas longo tramite duxit aquas.
Jam volucres visco, jam praedor arundine pisces,
   Verso et te cupida, maxime Homere, manu,
Ascraeumve, aliosve, olim quos Graecia dia,
   Et quos clara parens itala terra tulit.
O latebrae Musis dilectae! o frigora ripae,
   Quum summo fervens imminet axe dies!
Projectum viridi fagus densissima in herba
   Incumbens ramis protegit hospitibus,
Quam zephyri mulcent volitantes mollibus alis:
   Candens de vivis rupibus unda cadit.
Patria, tu ante oculos, mihi prima in pectore flamma,
   Vicina huic ruri, patria mater, ades.
Quantum hoc! quale! Meos istinc puer ipse sequebar,
   Huc hilari solitus saepe redire gradu.
Umbrae, frigentes rivi, agri, pascua, colles,
   Echo, quae a domibus voce loquente sonat,

Rus totum ex illo cordi mihi, totus et annus,
   Jucundas verso qui vehit orbe vices.
Quae praeit aestatem formosi gratia veris!
   Hic floret quanta est floribus Hybla suis.
Qui decor autumni! Qui hiberno tempore rident
   Soles! quae caelo dulciter aura tepet!
At quum saevit hiems horrens aquilonibus atris,
   Volvuntur pleno ligna vetusta foco,
Antiquosque hilarant largo splendore penates;
   Frigus et e tota nox fugit acta domo.
Ut specto gaudens flammam, adsideoque, beoque
   Memet! Dat faciles mensa paterna dapes,
Caules, atque olus omne, et mitia poma, nucesque,
   Quasque dolo mendax esca fefellit aves,
Aut captum leporem, aut versatum in cuspide pullum,
   Promptaque nectareo pocula pauca cado.
Adveniunt comes, non sordida turba, coloni;
   His vina, his assae munera castaneae.
Tum joca, tum risus. Haerens circum oscula matris
   In carum flectit verna caput gremium.
Haec mihi vita placet. Valeant convivia regum:
   Congerat immensas pauper avarus opes.

ELEGIA II.

DULCEDO AMORIS PATRIAE

Quae mihi vis tanta insidens dulcedine mentem
   Nectit? Quis mulcet pectora blandus amor?
Quae me, quae ducit liquidum super aethera flamma?
   O formosa oculis patria terra meis!
O muri! o celsae turres, et fluminis undae,
   Et campi, et colles, et nemora, et lapides!
Adspexi caelum hoc, has auras editus hausi
   Primitus, haec tenero terra notata pede est.
Hic leges, ritusque sacri, moresque meorum,
   Et sermo et prisci tecta paterna laris.
Aer gratior hic; hic pulchrior aethereus sol
   Cernitur os roseis tollere ab aequoribus.
Cuncta placent, rapiuntque. Potest qui lentus amare,
   Illius ah! triplex pectora robur habet:
Ponti conceptum scopulis hunc aspera tigris,
   Hunc horrens aluit lacte leaena suo.
Patria sed libycas delectant arva leaenas,
   Hyrcani et tigres tangit amor nemoris.
Dulce solum natale feris: quem liquit hirundo
   Nidum, nota albus flumina visit olor;

Et sua lustra angues, sua quaerunt aequora pisces,
Aegre alieno arbor crescit et herba solo.
Mirare hac humana incendi corda favilla?
E superis ignis sedibus ille venit.
Ille, ille immensum populis, et moribus orbem
Insuetis ornans imbuit illecebris.
Montibus hinc pastor prae magnis urbibus, arvis
Gaudet quum sudans urget arator opus.
Rupes hinc celebrat fera gens, horrentiaque antra,
Nubila qua arctoo nox premit arva gelu.
Quae patria haec nobis! Urbes valeatis et aulae,
Me mea terra juvat, me mea terra tenet.
Et domus et proavum cineres, cineresque parentum,
Qualia natalis pignora condit humus!
O salvete animae! dilectos cernere vultus
Mors vetat, et coram mutua verba loqui.
Dextram mors dulci prohibet me jungere dextrae,
Atque utrinque avida cingere colla manu.
At juvat effuso bustis insistere fletu,
Et dare cum moestis oscula carminibus.
Ultra quid nostro tribuet pia terra dolori?
Haec mea cum caris ossibus ossa tegat.

ELEGIA III.

OPUS QUARTAE DIEI

Fiat, ait, dextramque simul laevamque tetendit;
  Hac sol praesto, illac luna creata nitet.
Undique et immenso mille et mille undique caelo
  Ostentant subitas astra corusca faces.
Imperat his Idem; et terris lux, noxque, diesque,
  Annusque, et volucri saecula longa pede.
Parent cuncta Deo. Procedens tramite jusso
  Sol matutinis emicat aequoribus
Purpuream feriens radiis vibrantibus aethram.
  Dulci aer ridet lumine, ridet aqua,
Plantae, herbae, flores, campi, vallesque supinae,
  Saxaque montanis aspera verticibus.
Quaeque hilarat, pingit quaeque ille, fovetque cietque,
  Dum rapit exsultans more gigantis iter,
Et medium scandit celsis ardoribus orbem,
  Et medio occiduum flectit ab orbe jubar
Magnifico ore rubens adversi ad littora ponti.
  Siste, o sol (quo te surripis alme?) fugam,
Sol siste alme fugam, vitae fons. Vespere sero
  Ille obiit, tenebris nox tegit orta polum.

Sic luci, fuscis sic altus Conditor umbris
 Divisit nutu regna tenenda suo.
O species noctis! Puri per caerula mundi
 Conspicuum pandit candida luna decus,
Progrediturque silens; crebro passim agmine cingunt
 Reginam in laetos sidera fusa choros,
Collatoque ardet candescens circulus igne
 Stellarum; larga luce refulget humus.
Sol opera ut genti revehet statuetque futurae,
 Sic tempus blandae luna quietis aget.
Egressae caecis, illa impendente, latebris
 Errabunt vigiles, saecla timenda, ferae,
Et tigres cupidae, et catuli ore inhiante leonum
 Quaerent et rapient, Numine dante, cibum.
O Pater, ut tua mens, ut virtus arbitra rerum,
 Ut tuus in placido sidere lucet amor!
Innumera astra suae stant luce nitentia flammae;
 A solis quaedam lampade clara meant.
Haec medius proprios trahit ille trahentia in orbes
 Circum se, circum haec astra minora micant.
Quae vis, quanta astris dominans late aere, terra,
 Aequore! quae signis lumina magna docent!
Bis sena obliquo sol lustrat sidera calle;
 Hinc data par nocti, longa, brevisque dies.
Hinc ordo in ternos exaequat tempora menses
 Annua, et aeternas itque reditque vias.
Saevit hiems, silvaeque sonant et flumina constant;
 Ceu molli tegitur vellere terra nive.
Ver nitidum sequitur zephyrusque, et amabilis hora
 Spargit odoratas, qua volat ille, rosas.

Daedala diffundit quot habet natura colores;
  Ludit et omne pecus, cantat et omnis avis.
Torrida tum gravidis albescit frugibus aestas;
  Mala rubent curvis roscida in arboribus,
Pingues baccae olei, vini dant divitis uvae
  Laetitiam, truncis aurea mella fluunt,
Pulcher quum regnat plenis autumnus in agris,
  Omnigenas tellus prodiga ponit opes.

ELEGIA IV.

PSYCHE

Projice dextra ensem. Vetitam procul abde lucernam,
  Et procul arcano lumina verte toro.
Nosci nolentis ne spectes ora mariti.
  Hei mihi te quantis obruis ipsa malis!
Non sat te, miserae quum perdita crimine formae
  Plorasses duro sola relicta jugo,
Vectatam zephyro et divina sede locatam
  Jam fausto thalami foedere posse frui?
Quid dubitas falsis decepta sororibus? illae
  Impia devoto damna struunt capiti.
Imminet illa volens tacito nolensque cubili:
  Sollicito trepidant conscia corda metu.
Imminet, et cernit. Thalamo quem cernit? Amorem.
  Hic est vir, stratis hunc sopor altus habet.
Quae vultus species! quae miri membra decoris!
  Albent, ut lacti purpura mixta, genae.
Dulce hiat os roseum, et crispum ceu molliter aurum
  Involitant flavae colla per alba comae.
Fulcit dextra caput; pendent sine motibus alae.
  Cur somnus cerni lumina posse vetat?

Ut stupet! ut formae perculsa nitore puella
Attonitis haeret anxia luminibus!
Dum spectat, spectansque novo succenditur igni,
Emicat e tremula scissa favilla face,
Et nudo pueri stridens illabitur armo.
Urenti is laesus vulnere cum gemitu
Excutitur, Psychenque videt, ferrumque, facemque:
Jam fidit pennis aera praepetibus.
Infelix! trepidis natum complexa lacertis
Intentat saevas Cypris iniqua minas.
Nunc carpenda tibi servantis vellera solis,
Nunc tibi vel stygii lympha petenda lacus.
Nunc procul infernis Hecate est adeunda tenebris,
Inde refer magnae munera jussa deae.
Dona refer Veneri, neu duro pressa labore
Audaci reseres pyxide clausa manu.
Vas patet, et diri vis inde emissa veneni
Ingruit, et miserae membra sopore premit.
Ah! premit. Offusa clauduntur lumina nocte,
Et roseus niveo deperit ore color.
Illa cadit. Teneram nymphae fulcite puellam,
Stipate ingenuum flore nitente latus.
Heu languet virgo! pendent candentia colla,
Purius et mundo dextra nitens ebore.
Sic moriens passo curvatur flore hyacinthus,
Horrenti languet sic rosa tacta gelu.
Adstat Amor, lassamque fovet, reficitque sagitta.
Placatae Veneris nunc licet esse nurum.
Insere Amor nuptam caelo. Super aethera diva
Cautior esse malis noverit ipsa suis.

ELEGIA V.

DE MISERABILI INCENDIO

Has cladis dirae tristes quicumque tueris
  Reliquias pronae murmura propter aquae,
Si potes infando lacrymas non edere casu,
  Ipse fera es tigribus saevior, ipse lapis.
Hic genitor, materque aedes, nataeque tenebant
  Binae, et spes castae filius una domus.
Mira integra fide, vultuque venusta pudico
  Huic fuerat sancto juncta puella toro;
Nataque primus amor, et suavis cura parentum,
  Parva, edens balbo dulcia verba sono,
Par stellae, primo quae formosissima mane
  Lucida vix roseo protulit ora mari.
Hei mihi! quo miseris, quo gaudia vertet amoris
  Luctifica extremum quae vehit hora diem?
Nox ibat caelo media, atque silentibus umbris
  Securos thalamis presserat alta quies,
Quum male provisi vis exitiabilis ignis
  Ex imis subito sedibus acta furit,
Involvitque trabes properatque incendia tectis.
  O fugite, o celeri vix via tuta fugae.

O fugite. Evadunt alii, clamantque. Sopore
  Cum caro tenera est excita nupta viro,
Et natam arripuit trepidans, atque oscula fixit
  Ultima, succisa pallidior viola.
Quid faciat materque et conjux? undique fumus,
  Undique terribili flamma fragore ruit.
Parcite, crudeles ignes. Quo tenditis? illa
  Innocuos mores, et sine labe colit,
Nec dum bis denos aevo florescit in annos,
  Et nova fecundo pignora ventre gerit.
Ferventi ecce suum, ecce suam languescere ab aestu
  Pressa angore, amens, exanimata videt.
Extemplo tabulata labant, atroxque dehiscens
  Flammarum barathrum panditur ante pedes.
Concidit infelix natam complexa virumque,
  Concidit indigna mersa et adusta nece;
Qualis consorti quae nixa tenaciter ulmo
  Ridet formosis vitis adulta comis,
Crescentes gravido dum palmite sustinet uvas
  Flagrans infesto fulminis igne cadit.
Circum adsunt praesto adgressi succurrere cives;
  Irrita cura viros, irritus urget amor.
Vix flammis divisa ardentia corpora cernit
  Turba horrens. Animae tres simul astra petunt.
Virgo erat exstincto paulo ante orbata parente
  Scilicet, hic puro pura recepta lare.
Summa clausa domo, celsaeque adfixa fenestrae
  Poscit opem spectans sidera, clamat opem,
Clamat opem plorans, ululansque, et brachia tendens.
  Quaerenti effugium ferrea claustra negant.

Haerent parietibus scalae, scalisque juventus
Strenua. Magnanimis invidus ignis obest.
Jam flamma latus atque humeros, jam pectora flamma
Cingitur, horrificis anxia hiansque oculis.
Excutit ardentem crinem, et luctamine mortis
In duro opposita tempora veste tegit.
In tergum ah! fusis tandem resupina lacertis
Labitur incensis obruta vorticibus.
Tecta ruunt, flammisque alte superantibus, ossa
Squalida, qua fumat nigra ruina, manent,
Et locus, infausto qui frangat corda dolore,
Hoc proles hominum dum premat ulla solum.

ELEGIA VI.

TERPSICHORE

Filia laetitiae, qua pictae floribus herbae,
Roscida qua sacrum contegit antra nemus,
Terpsichore Aonidum Parnasso in monte sororum
Quos ipsa invenit, monstrat agitque choros.
Quae tibi, quae claram solertia protulit artem,
Alma juvare homines nata, juvare Deos?
Tu priscam alliciens primum in consortia gentem
Cogere de solis blanda magistra jugis,
Tu lenire feros potuisti, et foedera firma
Et mores duris tradere pectoribus.
Valle sub umbrosa, rigui prope fluminis undam
Motant ad certos rustica membra modos
Matres, robustique viri, teneraeque puellae,
Et cani pueris mixta caterva senes.
Haec operum requies, haec festa gaudia luce,
Praebuit ut larga dona Ceres segete,
Ut mella et mites autumnus pomifer uvas.
Plausibus arva pedum, vocibus arva sonant.
Musa choris ornat facilis convivia, Musa
Ludos, et doctae carmina Musa lyrae,

Et scenas, thalamosque, et busta, et sacra Deorum:
  Magnis Terpsichore gaudia caelitibus.
Idalii colles, et silvis laeta Cythera,
  Et vos o cypriae regna beata Paphi,
Vos Charitum gelidis choreas spectatis in umbris;
  Has ducit choreas, has amat ipsa Venus.
Jam vibrant plantas, jam mollia brachia ducunt,
  Flectunt jam in crispum concita membra latus.
Instant, abscedunt, intexunt orbibus orbes:
  Ripa nitet violis herbida, ripa rosis.
Purpurei tacito mirantur in aere Amores;
  Immotae pendent ex humeris pharetrae.
Auditis? Cybeles, Bacchique et tympana et aera?
  Saltant et Galli, et Maenades, et Satyri.
Eurotae Oreades ripis, ducente Diana,
  Et Nymphae, Oceani candida turba senis,
Gaudent rorantes vinctae post terga capillos
  Implicuisse manus, implicuisse pedes.
Visae illae insuetos choreis celebrare hymenaeos
  Complentes festis littora carminibus,
Quum tandem haemonio Thetis est deducta marito
  Nescia mortales spernere Diva toros:
Stratum curva premens Delphini terga per aequor
  Ibat virgineas sparsa rubore genas.
Fulgebant oculi, et fluitanti molliter auro
  Ludebant rutilae colla per alba comae.
Tellus cuncta novo ridebat lumine et unda,
  Et mundi blandus regna tenebat Amor.
Tritones, Phorcusque aderant, et Doris, et omnis
  Circum laetantis fusa cohors pelagi,

Et Cete, et Phocae in numerum, et vario agmine pisces
    Jactabant tremulo corpora summa salo:
Omnis quaecumque est, agitat natura choreas.
    Terpsichoren celebrant aequora, terra, polus.

ELEGIA VII.

COMETES MAGNUS ANNI MDCCCXI

Roscida languenti rubuere crepuscula luce.
   Qua sol occiduos in mare mersit equos;
Et tacitas caeli nox curru invecta per umbras
   Accendit sera sidera fulva face.
Ecce mihi superis in sedibus, ecce Cometes
   Innocuum placido mittit ab ore jubar.
Primum ille ab libyco sua lumina prodidit Austro
   Quum nitidum veris protulit Hora caput,
Annua fronde nova pingens et floribus arva,
   Daedala quos blandis aura creat zephyris.
Sole diu obrutus e radiis evasit, ubi illum
   Protegit inflexo Maenalis Ursa pede
Spectantem parvi flammantia colla Leonis.
   Arcturus tardum quo duce flectit iter.
Lucenti similis nubi est, et tramite longo
   Erigit a summo caesariem capite
Fulgentem late, bifida quae incendia flamma
   Scindens ignifluo verberat imbre polum.
Bini ceu fasces splendent. Hic rectus in altum
   Tollitur, ille suae spicula lucis agit

Incumbens, veluti lento curvamine rami
    Deflectit patulas ardua palma comas.
Caesaries omnis pellucida, at astra nitentes
    Prodita per crines ulteriora micant.
Stat moles media ingenti circumdata nimbo,
    Seque ardens igni lucidiore notat.
Nec certa huic facies, nec certus terminus ambit
    Turbatam ignotae congeriem nebulae.
Vos o qui mundi, qua panditur impetus ingens,
    Cernitis arte nova sidera, mente nova
Per vitrum longinqua tuens sine fraude colorum,
    Illa unde in proprio vera nitore patent;
Lucesque astrorum nostis, sedesque, viasque,
    Atque astra immensis innumera agminibus
Numquam visa homini, et naturae arcana profundae,
    Quae post longa aperit saecula sera dies,
Dicite, qui ille globus? Solidum deprenditis orbem
    Intus; in obliquum nititur ille latus,
Quali circumeunt errantes corpore solem
    Stellae, deque uno lumine lumen habent.
Fallor? an a toto sejunctus sidere crinis
    Distat? Utrumque inter semita caeca jacet.
Ignem turba novum stupet admirata, doletque
    Occiduum opposito monte repente tegi.
O quid turba doles? caelesti is sistet in arce
    Se rursum. Haud longae taedia vince morae.
Nuper in occasum delapsus, surget ab ortu
    Exiguo emensae redditus orbe viae.
Bis nocte apparet, bis qui anno apparuit uno.
    Nunc coma nunc oras vergit ad Hesperias,

Quae prius adverso sole adspectabat eoum.
  Stella adstat densis clarior in tenebris.
Quid properas, Aurora? cita importuna quadriga
  Parce diem roseis promere ab aequoribus.
Demere parce, Aurora, novae spectacula pompae:
  Victus sese imis Lucifer abdat aquis.
At longus nobis his caeli in finibus hospes
  Usque dabit pulcro sidere posse frui.
Et sensim arctoo spectabitur axe recedens,
  Horrida dum tristis frigora ducat hiems.
Tunc Cycnumque, Lyramque, innixique Herculis astra,
  Et fulvae praeter fulgura vectus avis,
Affuso qua lucet Aquarius imbre, tuentum
  Frustrabit celeri lumina fessa fuga.
Quisnam illum adspiciat posthac? per inane volantem
  Quae vasto excipient ultima regna sinu?

ELEGIA VIII.

PUS VACCINUM HOMINI INSITUM

Unde orta, et quando miseri vis effera morbi,
Advena per pharium quem mare vexit Arabs,
Ignota in vastos spargens contagia fines,
Et mersans diris oppida et arva malis?
Membra tremunt horrentque, calor post occupat artus,
Pectoris ima dolor, terga, caputque premit.
Nec cibus ora juvat, nec dulcis lumina somnus;
Jam colla et vultus pustula prima notat.
Tum discreta aliis erumpit corpore passim
Turgens, denso aliis agmine crebra ruit,
Albensque et nigrans operit, velut igne perusta,
Aures, ora, humeros, pectora, crura, manus.
Quae species! qui angor! sublimis anhelitus, aspra
Vox, acies torvis turbida luminibus,
Et tracti nervi, et caeco mens icta furore,
Atque adstans saevis mors violenta minis.
Heu pietas! fratrem exanimem hic dolet, illa sororem,
Vir nuptae luget funera, nupta viri.
Et natorum spes, et gaudia rapta parentum!
Blanda, loquax, flavis turba venusta comis

Jam surgens primo, ceu turbine, sternitur aevo:
  Sic cadit infesta grandine tacta rosa.
Nec cari mater potuit morientia nati
  Sollicito incumbens membra fovere sinu,
Oscula nec foedis inferre novissima labris,
  Nec summam admoto colligere ore animam.
Aedes illa implet questu miserabilis, orbus
  Desertum ut turtur voce gemente nemus.
Gaude qui tetrae evadis discrimina pestis
  Vivus, nec tumulo conderis ante diem.
Quid loquor? Heu vivis superest quae vita frequenter,
  Invisa, aeterna tristis amaritie!
Ille oculis captus suspirat lumina solis,
  Hic laesa optatos non capit aure sonos,
Languentesve artus gerit, et manantia tabo
  Ulcera, et exesas horrida forma genas;
Nec pater agnoscit natum, sponsamve repulsam
  Sponsus. Restinctis cessit Amor facibus.
O quae per dubias trepidis mortalibus artes
  Quaesitam frustra sors bona monstret opem!
Qua jacet occiduis extrema Glocestria in oris,
  Ridet sabrinis uvida vallis aquis.
Illic felices vaccis pascentibus herbas
  Pustula distentis haeret in uberibus:
Quae mungens pastor dum pressat, tabe fluente
  Infectis surgit pustula par manibus.
Inde ille, in populos dum saevit noxia labes,
  Integer. Ecce salus (cernitis?) ecce salus,
Ecce illa ante oculos caelesti lumine fulget:
  Fulgentem haud hominum pectora caeca vident.

Jennerus notat, et meditatus corde sagaci
    Pus rapit e mammis, foeta juvenca, tuis,
Humanamque secans pellem, actum cuspide acuta
    Insinuat. Quarta vulnera luce rubent.
Fit papula, ardenti quam cingit purpura limbo;
    Pressum os, circumiens altius ora, tumet.
Febris habet corpus, jam arescit pustula, et atrox
    Pernicies fugiens tartara nigra subit.
Pustula namque, Eos quum septima fulserit, illa
    Virus idem, quod bos praebuit ante, dabit;
Idque homini ex homine insertum mala tollet ab orbe
    Semina, et horribiles tempus in omne metus.
Quot subito validis augentur civibus urbes!
    Ut populo atque opibus regna beata vigent!
Jennero statuas servatae ponite gentes
    Quacumque humano est terra notata pede.

ELEGIA IX.

DE SIGNIS ET TABULIS GRAECORUM

Turres et celsis eductae nubibus arces,
Et tecta augustis regia porticibus,
Et thermae, et vastis spatiosa sepulcra columnis,
Portus, muri, arcus, templa, theatra, viae,
Grajugenum alta nitent miracula, qualia terris
Nulla prius tulerunt saecula, nulla ferent;
Passim quae variis decorat pictura figuris,
Aeraque, et aeterna marmora sculpta manu.
Num caelo in terras delapsus Jupiter alto est,
An caelo illatus conspicor ipse Jovem?
Phidia, tu solio excelsum, divine, nitenti
Gemmis et miris ordine imaginibus,
Divum argumentis, heroum ingentibus ausis
Tu potes elea sistere in aede Deum.
Lucet ebur membris, caelatum vestibus aurum,
Aurea serta comis, aurea vincla pedum.
Laeva tenet sceptrum, insistit Victoria dextrae,
Incutiuntque pios ora verenda metus.
Jam spirat, vocem jam mittit, jam annuit ille;
Ambrosia ab dio vertice caesaries

Concutitur Regis; terra ingens horrida nutu,
  Caelumque et caeci nox tremit ima Erebi.
Nec minus actaea spectatur in arce Minerva
  Adstans, par magno filia magna patri,
Forma, hastaque potens, clypeoque, ubi bella Gigantum,
  Mars ubi amazoniis agmina ductat equis.
Nec minus Alcamenis vivunt et signa Myronis,
  Mentorque, et grandi quae tulit arte Scopas.
Lysippi est hic Alexander, Juno haec Polycleti.
  Hic Amor, hic labor est Praxitelis Satyrus;
Et Venus, extremi quam cernat ut advena mundi.
  Ad gnidium properat per freta longa nemus.
Qua laurus, platanusque, et laetae germina vitis,
  Floresque, et mixta myrtus olens hedera.
Quae Dea, quae lymphis spumantibus edita ponti
  Emergens liquidis prodit ab aequoribus!
Quae species vultus! manuum qui candor! utrinque
  Sustinet humentes imbre, premitque comas.
Dulce micant oculi, jucundi gratia risus
  Labris, et niveis stat rosa verna genis.
Lene tremunt undae, ventisque stupentibus alto
  Caelo regnat amor, regnat amor pelago.
Sed non vera exit Venus. Hanc, hanc pinxit Apelles.
  Ne praestent cois alta Cithera jugis.
Lintea Parrhasii cognosco, et Zeuxidis uvas:
  Decipit hic volucrem, is decipit artificem.
Marsya quem celebrat, Centauri atque Herculis angues.
  Et calabris Helene gloria virginibus.
Natos, o Colchi, perdis, tua viscera, ferro?
  Respersi tepidos rore cadente sinus

Te pueri blanda compellant voce parentem,
Te, tua protentis colla petunt manibus.
Odit, amat, gemit, et gladium vesana trementem
Stringens, infandum vultque timetque scelus.
Colchis Timomachi est. Tibi Cyclops ecce Timanthis,
Sacrilegaque cadens Iphigenia nece
Ante aram ah! coram ducibus, coramque parente,
Tristia qui obductis vestibus ora tegit.
Bacchus Aristidis praesto, infans, saucia mater,
Et quae prodit amans mollia corda timor:
Spumaque Protogenis, et linea terna duorum.
Nobilium enumeret quis decora alta operum?
O Ephyra! o Sicion! orbisque o lumina Athenae!
Musarum, o Hellas, semideûmque domus!
Quo feror? Hi Delphi. Mihi templum et proxima templo
Tecta Polygnoti splendida laude patent.
Ad laevam paries versutum reddit Ulyssem.
Vivus regna Stygis Tiresiamque petit.
Propter adest Acheron, et cana navita barba
Dirus, et inferna corpora vecta rate.
Apparent ultra heroes, manesque piorum.
Sontes suppliciis poena timenda premit.
Parte alia puppes Grajûm et Neptunia Troja.
Flagrant argolica moenia capta face.
Fumo vorticibus superante labantque ruuntque
Pergama. Dardanias possidet hostis opes;
Jamque parat reditus. Helene prope littora ponti;
Caelestem faciem graia turba stupet.
Victores, victi, pueri, miserandaque plebes,
Laesi vulneribus, praecipitesque fuga;

Tydides, Atridae, Acames, Pyliusque Ithacusque
  Rex. Nudus murum sternit Epeus humi:
Duratei caput exstat equi, qua lapsa ruina.
  Ardet adhuc, miscet funera Pyrrhus adhuc
Luminibus, cristisque horrens et caede cruenta.
  Moesta horrent stratis arva cadaveribus.
Celsus et ille jacet Priamus, tot sanguis avorum
  Regum, praeda avibus, lurida praeda lupis.
Regales matres heu! regalesque puellae,
  Cum nato Andromache vultum adoperta sedent
Mutae, aegrae, misero perfusae lumina fletu.
  Quae superest fatis finis acerba tuis,
Infelix virgo Cassandra? incensus Oileus
  Te petit in tetrum mente furente nefas,
Ut teneram immiti vultur premit ungue columbam.
  Quis te praesenti respicit auxilio
Effusis Divae manibus simulacra tenentem,
  Atque udam trepidos imbre rigante sinus?

ELEGIA X.

GRAECIA DE ANTIQUA BONARUM ARTIUM GLORIA DEJECTA

Quid tibi cecropiae prodest tutela Minervae,
  Graecia, et aoniis numina laeta jugis?
Quid prodest magno quaesitum nomen in orbe?
  Temporis antiqui gloria nempe jacet.
Non es quae fueras. Artes periere vetustae,
  Virtus cum grajis moribus omnis abest.
Horridus argivis insistit sedibus Error,
  Ille tenet doctae regna vetusta Deae.
Urbs, tua, Pallas, ubi est? Pariae cecidere columnae,
  Curvaque taenarium sensit aratra solum.
Presserunt vastae disjecta trophaea ruinae,
  Direptasque sacris postibus exuvias.
Frustra divini tabulae quaeruntur Apellis,
  Et polycleteae marmora et aera manus.
Ipsa silet sancti vindex Facundia juris,
  Quam Macedo, hostiles quam timuere duces.
Argivi colles, muscoque virentia saxa,
  Et quae ridenti gramine terra nites,
Quis Plato sub patulis edit dicta aurea ramis,
  Quis divina canit carmina Maeonides?

124

Hic olim Hesiodus, hic plenius ore sonabat
  Pindarus eleos dicere doctus equos.
Teius hic vates, teneros hic flebat amores
  Cincta dioneis lesbia musa rosis.
At tu inter myrtos, felix Mimnerme, solebas
  Dulcibus alta tuam tollere ad astra modis,
Lumina, et effusos per lactea colla capillos,
  Brachiaque intacta candidiora nive.
Stabat Amor juxta, zephyrisque silentibus amnis
  Oblitus placida tardior ibat aqua.
At picti nova discebant suspiria flores,
  Et plantae, et frutices, et nemora, et lapides.
Haec fuerunt olim: nunc raptos morte poetas
  Elysiae vallis rura beata tenent.
Vivite felices, et doctos dicite versus
  Qua levis aeternum commovet aura nemus.
Hic vix exstructi persistunt signa sepulcri,
  Vix ambusta vetus qui tegat ossa lapis:
Funestaeque super surgunt cum sentibus herbae,
  Et celat turpes mater inulta feras;
Incola et e scythicis (ah barbarus incola!) terris
  Proterit impuro saxa verenda pede.
Barbare, quid sanctos audes contemnere manes?
  Huic Phoebus cineri Pieridesque favent.
Hunc Amor excisis moestus circumvolat alis,
  Huic praebet lacrymans florea serta Venus.
Barbare.... sed sacris imprudens ossibus instat.
  Mos docet, a duris traditus ille Getis.
Huic risit Phoebus, divini huic forsitan ignis
  Abdita torpenti semina corde latent.

Sic mollis denso celatur cespite caltha,
Sic tegitur caeco lucida concha mari.
Hic rudis Alcaeus, hic forsitan alter Homerus,
Qui caneret forti bella virosque pede.
Forsitan ah! cujus nunc spernit busta poetae,
Felicem plectro tangeret iste lyram.
Infelix! serum cur haec te protulit aetas
Barbara? cur olim non tibi vita fuit?
Nunc strictae obducto torpescunt frigore mentes,
Nunc mos, nunc leges, nunc fera fata premunt.
O nimium veri cecinerunt omina vates,
Omina terrificis edita saepe sonis,
Invida quum grajas Discordia miscuit urbes,
Jussit et adversos arma movere duces!
Parcite (quo ruitis?), malesani parcite cives:
Persicus inficiat tela pelasga cruor.
Heu quanti insanis laetantur caedibus hostes!
Heu cadit in vestrum quanta ruina caput!
Jam nectit validas bellatrix Pella catenas,
Jam premit imposito martia Roma jugo.
Argolici mores, leges valeatis achivae;
Sors mutat dura regna vetusta vice.
En fugiunt Artes, en priscis sedibus absens
Respicit actaeas moesta Minerva domos.
Excipe castalias, o victrix Roma, Camenas;
Ad colles migrat turba canora tuos.
Tristia fata manent, et tristia fata manebunt.
Haec erit infidis terra colenda Scythis.
Haec vates quondam. Tremuere cacumina Pindi,
Intus et horrentes ingemuere specus.

Evenere. Diu Musarum carmina Tibris
  Novit. Tum amissas flevit et ipse deas.
Nunc ille Italiae externisve in finibus absunt,
  Qua sol occiduos in mare mergit equos,
Qua fluitat Rhodanus, qua mixtis ultimus undis
  Fert Tanais gelidas per vada lata nives.
Sol, noctis longae nigras expelle tenebras,
  O sol, antiquum, candide, redde jubar.

ECLOGA

AQUA PULCRAM FECUNDAMQUE NATURAM REDDIT

TITYRUS

Ilice sub nigra, ridenti in gramine ripae,
Propter aquae fontem, labentes Tityrus undas
Spectabat pastor, tenuique sonante cicuta
Vicinas tali mulcebat carmine valles:
O dulces undae! sacris quid dulcius undis?
Undis quid melius? Silvis et collibus inde,
Et campis species; inde omnes divite tellus
Effundit partu fetus tepefacta calore.
Ut primum vernum sol rettulit aureus annum,
Et leni zephyris flatu aspirantibus, humor
Imbuit almus humum penetrabilis imbre marito;
Tum dulcis patulos conspergit purpura flores,
Tum casia, atque crocus, tum purpureus narcissus,
Et vaccinia nigra, et mixtis lilia calthis
Inter pubentes cythisos, interque myricas
Halantes pingunt herbas; in cespite molli
Tum rosa virgineum prodit pudibunda ruborem;
Lenes circum alis volitant rorantibus aurae,
Atque Horae varios texunt in serta colores
Affulgente aurora a lumine matutino:

Sentibus est ipsis decor, est sua gratia dumis.
Jam lymphis mollitus ager renovatur aratro,
Atque madens lymphis excludit semina laeto
Fota sinu, et succos fibris submittit, alitque
Atque auget stirpes. Hinc annua messibus arva
Flavent, ceu mare, vento undantia; fertilis uvas
Porrigit hinc vitis; hinc candida in arbore mala
Circum laetos dulce rubent curvantia ramos.
Hinc pinus nemora alta ferunt, alnosque, cupressosque
Antra incumbentes supra nigrantibus umbris,
Plaustra bovi duro, nautaeque datura carinas.
Hei mihi! crudeli fervet quum Sirius aestu,
Undae deficiunt; flos deficientibus undis
Languescit moriens omnis, languescit et herba,
Tellus squalida hiat, rimis riget arida silva,
Amissa natura horret deperdita forma!
Naturae sed forma redit, quum a nubibus instat
Vis redeuntis aquae; fontes volvuntur et amnes
Largiflua undantes ope; cycni longa liquenti
Mergunt colla vado laeti, et plaudentibus alis
Terga superjecto inspergunt candentia rore.
Pinguia deductis herbescunt pascua rivis,
Divitiae ruris; hic molli lucida tergo
Vellera gestat ovis; niveo spumantia vaccae
Labra implent passim lacte hirsutaeque capellae;
Hic pingues haedi, hic nitidi in praesepibus agni,
Mellaque de medio quercus manantia trunco.
Dixerat haec pastor: nutanti vertice plantae
Plaudebant circum et venti, et puros vitreus fons
Exsultans gelida latices fundebat ab urna.

DIALOGUS MENIPPEUS

INTER

MENEOTHEUM, QUI SE JACTAT INSTINCTUM POETICO
ET DIVINO FURORE EUMQUE SUMMIS LAUDIBUS CELEBRAT.

ET

GELAPHRONIUM ALIA SENTIENTEM

GELAPHRONIUS

Licet ne tuto adire et affari Meneotheum poetam, postquam deferbuit tandem aestus quo debacchatus est hac umbrosa in ripa fluminis? Qualem te adspexi et contemplatus sum latens hinc procul! Jactabas brachia et caput et membra miro gestu atque conatu; duplices autem oculos horrendum intorquebas emissitios et incensos, tamquam serpens Epidaurius, murmurans et sufflans buccis tumentibus et rubentibus; ridebasque aliquando terribilem risum. Videbaris alloqui quempiam, qui non aderat, quemque, si adfuisset, loquens conspuisses sordida saliva; jam ambulabas sublimis; jam stabas spectans terram eamque tundens pede crebro: pugnos quoque ingerebas truncis male cautus. Timui ne, si conspicerer, in me jaceres saxa manu rabida, et ne te ipsum etiam caeco impetu irrueres in amnem.

MENEOTHEUS

O mentes caecas hominum! o expertia corde corpora, perpetuo corpora stricta gelu! Nescitis vatum fervescere pectora motu divino? Mea me, me mea Calliope secernit populo levi, humoque tollit arduum impetu sacri rapido furoris. Calliope musa mihi praesto fuit sub his arboribus patulis, et mecum, ut saepe, colloquuta, caelestem inspiravit amorem carminum, quae meditatus sum et servo memori pectore condita.

GELAPHRONIUS

Mihin' istas fabulas?

MENEOTHEUS

Socrates cernebat Daemonium, et Genium Tassus praesentem; Numa consuluit frequens Nympham secreto sub antro, et frequens olli respondit suavis sonus Egeriae; Musae adstitere ascraeo seni, pastori et caprimulgo: mihi Musarum regina.

GELAPHRONIUS

O amice, per tuum dulce caput, cave talia mutiveris cuipiam mortalium, aut vero feceris in posterum deliramenta, quae fecisti hodie hoc in loco, ne sis jocus puerorum et caudam trahas. Ridiculi plane hoc tempore sunt qui simulant se insanire ut imponant plebeculae, et putentur praestare ingenio eximio, quod ajunt non abesse a dementia: jamdudum pervulgatae sunt et obsoletae miserae istae artes et sycophantiae; sus olet suem.

MENEOTHEUS

Per delium Deum poetam et vatem! non ego saepe adspicio coram et alloquor Musam, quam ipsi tibi

ostendam aliquando, si illa patiatur spectari oculis profanis et temerariis tuis! ego porro non inflammor divino furore!

GELAPHRONIUS

Furor certe est in te ingens, o bone; sed nullus divinus furor, qui in nemine fuit poetarum. Est enim in poetis et aliis hominibus naturalis ille impetus quicumque est.

MENEOTHEUS

Falsa loqueris male deblaterando.

GELAPHRONIUS

Quum mens hominis res certas et placitas, quas sibi proposuit, diu multumque considerat, mens eadem hominis ab illis rebus naturaliter impellitur et incenditur; atque idcirco in corpore fervescunt humores, sanguis gliscit atque aestuat, nervi fibraeque intenduntur, subsiliunt, contremiscunt. Hinc motus ille et nisus et calor in membris; hinc exaggeratae cogitationes et audacia praeceps et mentis abalienatio; hinc tandem furor ille, ut res sunt et homines, bonus et malus.

MENEOTHEUS

Quid ais? Semper optimus ille est, sine quo nullus magnus vir. Hic furor homines super homines evehit; et poetae, quod eo valent maxime, sunt homines hominum maximi maximorum.

GELAPHRONIUS

Satis magnifice, vir maxime!

MENEOTHEUS

Quae poetae efficiunt per hunc furorem! quae fingunt miracula! quem fabricantur et creant mundum, et quibus habitatum populis! Hic Centauri, homines iidem et equi; hic Gigantes, qui dracones habent sibilos pro crinibus; hic Cyclopes cum magno oculi unius orbe in fronte media et statura montibus similes; Cerberi trifauces, Geryones tricorpores, Briarei centimani, Minotauri semiboves, Hydrae, Gorgones, Harpyiae, Scyllae, Chimaerae.

GELAPHRONIUS

Et Argus constans totus oculo, et Sirenes puellae capite et collo perquam venustae, dorso, alis, pedibus gallinae; tum formicae conversae in homines, et mulieres mutatae in picas, et viri repente ex serpentis caesi dentibus nati cum galeis et clypeis.

MENEOTHEUS

Dii, Deaeque undique, caelo, mari, terris, sub terris: Juppiter quassat nigras comas, nutuque Olympum concutit; ex cujus cerebro prosilit Pallas Minerva. Juno bovinis oculis formosa superbit pavone juncto: findit columbis aera amans risum Venus; atque e Tithoni thalamo Dea rosea, Dea nivea, crocea, rutila Dea, vehitur agile super humilia freta sonipede: rota volat; ardet purpurea caelestis semita luce, unde torto mille flores concidere turbine, dulce picti, udi roris lucidi trementibus lacrymulis. Neptunum circumstant fluvii barbis rorantibus imbre aquarum, et Dii plurimi marini multiformes, Tritonesque cum Conchis sonantibus, et Oceanitides et Nereides; in-

ter monstra et portenta stygia regnat Pluto cum Proserpina furva.

GELAPHRONIUS

Quid taces Vulcanum pulcre utroque pede claudicantem et nigrum fuligine? Sed Deos furor poetarum certe insanus vertit in cycnos, aquilas, equos, boves, et nosti quibus de causis; ergo furor poetarum Deos facit bestias.

MENEOTHEUS

Poetis spicas dat flava Ceres; Pomona cerasa et roscida mala: Bacchus uvas et spumantia vina, quae dulciter ubi descendunt in pectus nostrum, ut divinum augent furorem! Nobis Dryades exsiliunt e corticibus arborum, Fauni ex antris, Panes canunt fistula, Zephyri sunt belli pueri, qui hos circumvolant; plantae animantur, vivunt et loquuntur saxa.

GELAPHRONIUS

Magni etiam auri montes ibi non deerunt; abundant enim pecunia poetae.

MENEOTHEUS

Incantamenta, spectra, prodigia, facinora mirabilia, casus incredibiles, fabulae infinitae, quidquid esse potest et quidquid non potest, poetica regna tenent.

GELAPHRONIUS

Equidem admiror poetarum bonorum dicta et inventa, sed non puerilia quae sunt, quocumque modo interpretere et probrosa.

MENEOTHEUS

Musici vero sine furore miscerent, raperent, agitarent humanas mentes?

GELAPHRONIUS

Quos dicis musicos et quam musicam? anne etiam istam barbaram, quae invecta est apud nos? Si ea non est sine afflatu, is afflatus est a malis Diis iratis.

MENEOTHEUS

Jam pictores et sculptores, quorum admiramur egregias tabulas et spirantia signa, nonne maxime valent hoc ipso impetu instinctae mentis?

GELAPHRONIUS

Certe pictores praecipue nihil poetis concedunt de insania.

MENEOTHEUS

A poetis, musicis, pictoribus, sculptoribusque atque etiam architectis afflatus manat in alios homines et propagatur ad artium incrementa; ut emissus vitrea rota ignis electri tranat per corpora tangentia sese, eademque omnia usque fluens repentino concussu quatit.

GELAPHRONIUS

Hinc manifestum cur tam multi poetae circa nos crocitent, et cur subito exsistant insani furentesque amatores statuarum et picturarum. Novi ego quemdam qui, cum artium rudis et ignarus sero in lecto cubuerit, mane surrexit doctus, coepitque crepare pictorum et sculptorum nomina, et spectare opera, odorare aetates et illico noscere manus artificum. Hic certe dormiens afflatus est, et inde hausit scientiam.

MENEOTHEUS

Solis philosophis, ut reor, nulla inflammatio, hominibus tetricis; quamquam illi sint ingenio maxime feraci

ad fabulas, et somnient saepe vigilantes. Quae obtrudent quamprimum mendacia de comete quem nos conspicimus ad Septemtriones, illi pensitant in trutina. In cetero populo autem universo amor artium et studium elegantiae.

GELAPHRONIUS

Quibus prae rebus vehementius intenditur mens humana, ab iisdem agitatur. Hinc ille idem semper furor, quem tu dicis afflatum. Sic certe. Dubitas? Myrina et Fidenia, neque solae, quum cogitant intenta avidaque mente pretiosas vestes, elegantes comptus et cultus peregrinos, et galerum magnum, limbatum, revinctum floribus, gemmas, flabella et muliebrem mundum, nonne abripiuntur calore acri, et oblitae domus et rerum domesticarum videntur sibi in Cypro regnare inter Gratias?

MENEOTHEUS

Apage.

GELAPHRONIUS

Quid? coqui quum informant dapes opiparas et splendida convivia, ut excellant in arte sua, carere possunt afflatu furoris? Dic mihi, o poeta, heluonem illum et parasitum strenuum Pamphagum, tibi mihique bene notum, quum meditatur cupide dulcem et peroptatam vitulini copiam jecuris, rhombumque et gallinacei semimaris galli pinguedinem beatam, flaventem suaviter, et cerearum ficedularum fumantem cumulum, et suillum armum, pernamve et offas et cupedia, vina tandem cypria et hispana, non putas a summo capillo ad unguiculum extremum concitari,

ut animus ardore non humano propemodum e corpore altius efferatur, quo nemo poetarum pervenit ad sidera, nisi cupiat manere potius inter patinas?

MENEOTHEUS

Facile est irridere: ego hoc praeterea contendo, miram hanc vim, qua nos poetae primum agitamur, ad grandia quaeque homines excitare.

GELAPHRONIUS

Sed inde etiam repetenda omnia temeraria ausa.

MENEOTHEUS

Quid plura? hic furor homines ad virtutem impellit.

GELAPHRONIUS

Viden' tu pomum aureum, de quo magna nunc est contentio?

MENEOTHEUS

Num Ida hic et judicium Paridis et certamen Dearum?

GELAPHRONIUS

Non Deae, non mulieres appetunt aureum pomum, sed viri duo magno furore agitati. Pomum pendet ab arbore vetusta et collabente. Jamdiu illi certarunt; sed nunc iterum exspectant signum, exsultantiaque haurit corda pavor pulsans. Alter defixis cupidus oculis et hiante ore, connixus manibusque pedibusque, intentis nervis omnibus, et membris usquequaque profluentibus sudore largo, adrepit miris modis. Quid non expertus miser? Jam jamque tenet, similisque tenenti increpuit malis, morsuque elusus inani est: alter pomum aufert palpator dolosus et abjectus.

MENEOTHEUS

Quas mihi succinis ambages?

GELAPHRONIUS

Quas tibi Musa expediet. Ambitio his furor: aureum pomum illud putabant, et is erat cucumis, mea sententia. Similia poteris cogitare de ceteris vitiis, quae maxime erumpunt ex animo concitato.

MENEOTHEUS

Tu, quae mala sunt, objicis, praeteriens bona.

GELAPHRONIUS

Non; tu bona cantas, tacens mala. Hoc verum: furor sapiens sit necesse est, et sana insania.

MENEOTHEUS

Non equidem intelligo pugnantia secum adversis frontibus.

GELAPHRONIUS

Necesse est ut instinctus et afflatus, quem diximus, usque temperetur ratione et judicio.

MENEOTHEUS

Haec conferam cum Calliope mea, quae redibit quamprimum, ut auguror, ad me: videturque caelum ab laeva nunc repente placido largoque fulgere lumine.... Dea, ecce Dea: viden' illam et credis?

GELAPHRONIUS

Neminem video, nisi virum sane miserandum.

MENEOTHEUS

O veneranda, ades ambrosiis comis decora et radiantibus oculis, praesensque phoebeo thyrso percutis et incendis meum pectus.

GELAPHRONIUS

Larvae hominem agitant ob suum peccatum ingens, nescio quod; fortasse quod non desinit versus facere.

MENEOTHEUS

Adventante numine turbida insidet in mente rerum sine ordine facies attonito mihi: sed ardor dissipat tenebras..... mihi horret capillus, artus trepidant, et rabidum laetitia micat cor, majorque mihi videor, nec mortale sonans.... Quo feror, aut ubi sum?

GELAPHRONIUS

Vertitur in cycnum et jam pandit candentes alas.

MENEOTHEUS

Nova loca apparent, invisa, admiranda; speciosaque simulacra et nitentes usquequaque pervolant imagines. O Helicon! o Parnassi juga! o antra gelida roranti oblita musco! myrtique laurique! O Hippocrene sacra, unde per gramina laeta trepidat aquula nitida celere propera latice, ubi crocus, ubi casia tenera micat, ubi rosa; ubi tremulas molliter quatit pennas vagula zephyri animula per hederigera nemora. Cerno Musas sorores edentes concentus beatos et Apollinem regem.

GELAPHRONIUS

Qui occidit saevis exemplis stulte arrogantem Marsyam.

MENEOTHEUS

Et equum Pegasum. Homerum agnosco longa in veste principem, Archilocumque, Alcaeumque, Stesychorumque! teque, Pindare, teque, lesbia Sappho, aureos cinctam paphio rosarum flore capillos; et Maronem, et Flaccum, et Dantem, et qui adhuc sonat Lauram aeterno plectro. Ego inter illos, illos inter imponam ego insignem capiti meo coronam.

GELAPHRONIUS

Numquam magis insanivit quam nunc; subvenite et constringite, obsecro vos.

MENEOTHEUS

Ego arma canens virosque, invitus quae probet livor, quae nulla obterat aetas, nova carmina pangam.